



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Elementa Doctrinae De Circvlis Coelestibvs, Et Primo
Motv**

Peucer, Kaspar

Vitebergae, 1576

VD16 P 1990

Regvlæ Ascensionum Sphæra recta.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56559)

Cum autem & latitudinis gradibus scrupula
 adhereant, partem proportionalem pro illis ad
 Eclipticæ verum locum primo inuentum adiungen-
 dam vel separandam, ex differentia vtriusq; veri
 loci eclipticæ æstimamus, secundum proportionem
 60. scrup. ad differentiam arcuum eclipticæ assum-
 ptorum ex tabulis ad integros latitudinum gradus
 conditis, quæ est 34. scrup. Colligimus autem 28.
 scrup. pro 50 scrup. latitudinis ad 14. grad. 45.
 scrup. Leonis accommodanda. Est enim arcus zo-
 diaci secundo inuentus ad 52. grad. latitudinis ma-
 ior, & primum ex præcedente tabula erutum su-
 perat. Verus ergo eclipticæ locus ad ascensionem
 115. grad. 51. scrup. in latitudine 51. grad. 50.
 scrup. congruens, 15. grad. 13. scrup. Leonis fi-
 nitur. Ex hac operatione & alteram studiosi fa-
 cile addiscent, quando latitudo gradibus scrupulisq;
 constat, & ascensio vel in vtraq; tabula præcise, vel
 in alterutra tantum reperitur.

REGVLÆ ASCENSIO- num in Sphæra recta.

Prima Regula.

IN Sphæra recta quadrantes à punctis cardi-
 nalibus inchoati, eodem momento & æquabiliter

exoriuntur cum quadrantibus æquatoris confini-
 Cum enim duo Coluri, qui diuidunt tam zodiacum
 quàm æquatorem in quatuor æquales quadrantes,
 se mutuo transcensu in polis mundi secant ad angu-
 los rectos sphericos, & in sphaera recta uterq; po-
 lus innitatur plano Horizontis, necessarium est, ut
 trunq; colurum, in quavis integra cœli conuersio-
 ne, bis in locum Horizontis recti succedere, atq;
 adeo quadrantes duorum circularum intra eosdem
 coluros comprehensos, cum & ad circulum
 hemisphaerij eodem modo, & secundum eosdem
 angulos inclinentur, & ab æquinoctiali æqualibus
 spacijs deflectant, pariter Horizontem conscendere.
 Exempla in tabula ascensionum reclarum obuia sunt.
 Cum quouis enim zodiaci quadrante 90. æquatoris
 gradus emergunt.

Secunda Regula.

P A R T E S autem illorum quadrantum, pro-
 pter variam & diuersam obliquitatem seu decli-
 nationem, dissimiliter oriuntur. In quadrantibus
 enim initio Arietis & Libræ succedentibus, si à
 communi interseccionem initium sumatur, & arcus
 confines inter se conferantur, perpetuo de zodia-
 co plus, minus de æquatore emergit. In quadranti-
 bus vero succedentibus punctis solstitialibus, initio
 facto

facto à coluro solstitiorum, contra plus de equatore, minus de zodiaco prodit. Quadrantes tamen finitimi omnes, vno eodemq; momento ad horizontem perueniunt. Posteriorum enim partium ascensionibus cuiuslibet quadrantis, aut deest, quod supererat prioribus, aut superest, quod prioribus defuerat. Ut cum grad. 16. Eclipticæ principium Arietis sequente, 14. grad. 43. scrup. equatoris. Cum 38. eclipticæ ab eodem ineunte puncto, 35. grad. 37. scrup. equatoris enascitur. Contra cum 16. Eclipticæ à solstitio æstiuo seu principio Cancræ incipiente, 17. grad. 22. scrup. equatoris. Cum 38. Eclipticæ ab eodem puncto numerato 40. grad. 26. scrup. equatoris Horizontem adit.

Tertia Regula.

S I G N A ergo & partes signorum, vel etiam quilibet arcus Eclipticæ, aliunde quàm à punctis Cardinalibus inchoati, quo sunt propiores punctis æquinoctialibus, eo obliquius: quo magis ab his recedunt, & Solstitialibus admouentur propius, eo rectius oriuntur, quod & plus declinant ab equatore, & rectiores cum Horizonte angulos efformant. Vt cum prima decade Arietis de equatore 9. grad. 11. scrup. cum prima Tauri, 9. grad. 41. scrup. cum prima Geminorum, 10. grad. 33. scrup. cum toto Ariete 27. grad. scrup. cum toto Tauro 29. grad. 54. scrup.

54. scrup. cum toto Geminorum signo, 32. grad.
12. scrup. ascendunt.

πόρισμα.

Hinc πόρισμα sequitur, in sphaera recta quatuor tantum signa rectè, quorum duo utrinque punctis duobus solstitialibus contigua sunt, geminos scilicet, Cancrum, Sagittarium, Capricornum: Reliqua octo oblique oriri.

Quarta Regula.

PARTES Eclipticæ æquales, æqualiter ab aliquo punctorum Cardinalium distantes, ascensionibus conueniunt. Nam & ab æquatore, vel versus alterutrum polorum mundi, vel in oppositas partes paribus interuallis deflectunt, & vel supra Horizontem eductæ, vel inclinatæ ad occasum, æquales alternatim cum Horizonte angulos conformant, sic ascensio Arietis æquatur ascensionibus piscium. Vtriusque enim 27. grad. 54. scrup. est. Ascensio geminorum æquatur ascensionibus Cancris, utriusque enim 32. grad. 12. scrup. Sed exempla tabulæ suppeditant. Ex hac regula duo πόρισματὰ colliguntur.


PRIMUM πόρισμα.

Signa opposita in sphaera recta habent ascensionibus æquales. Semper enim assumi potest tertium signum aliquod intermedium, quod cum utrolibet
exire

extremorum equaliter distat ab aliquo punctorum
Cardinalium. Ascensio Leonis equatur ascensioni
Tauri intermedij, qui cum aquario comparatus ab æ-
quinoctio verno, cum Leone à principio Cancræ æ-
quali distat spacio.

SECUNDVM ΠΟΡΙΣΜΑ.

Descensio signi in sphaera recta conuenit cum a-
scensione eiusdem. Quæ enim est habitudo parti-
um Eclipticæ ab ortu versus Meridianum, eadem est
earundem inclinatio à Meridiano ad cardinem occi-
duum. Cum igitur oppositi arcus, declinationes ab
æquatore versus oppositos polorum mundi cardines,
æquales sortiantur, & ad omnes Horizontis partes
secundum eosdem applicentur angulos, necesse est
eos eodem tempore occumbere, quo oriuntur, adeoq;
ascensione cognita descensionem etiam rectam inno-
tescere.



Regula